
EX-LIBRIS
Omne talit punctum
qui miscuit utile dulci.
Horacio
CASINO DE ZARAGOZA
J. GALIAY.

# Indice del tomo 4º.


tratado 1º. Contestacion por el L. Jose Perusa y Escartin en el proceso de Comision apostolica de Pedro Perusa y otros, contra Lamberto Cerezuela, sre la apelacion.

2º. Copia testimoniada de la sentencia dada en el proceso de apelacion de Dª. Josefa Antª. de Gurrea Cerdan y Sayas, sre Aprehension.

3º. Contestacion del Dr. Juan Migl. Perez del Cuende en el proceso Juris firme, sre cierta manda á su muger Maria Sierra.

4º. Dictamen en el proceso de D. Martin Gimenez de Urries, contra D. Luis Gimenez su hermano, sre tasacion de alimentos.

5º. Espediente sre competencia entre el Iltmo Sr. Obispo de Barbastro y el Exmo Sr. Arzpo de Zaragoza.

6º. Defensa por Orencio Luis Zamora del ladron y salteador de caminos Pedro la Peira.

7º. Alegato por D. Felix de Robledo y Palafox, pidiendo enmienda en la sentª. sre succesion de los lugares de Salas altas y bajas y pardina de Lezan.

8º. Compulsa sre censo cargado por la villa de Murillo de Gallego á favor de Lorenzo Don Lope y como su habiente dro el colegio de la Compañia de Jesus de Huesca.

9º. Acusacion de D. Lamberto Antº. Vidania contra Migl. Berdiel de nacion frances criado suyo, por haberle hurtado 450 libras en dinero de plata.

10. Apelacion de Felix Novales en la sentencia y causa, sre homicidio y lesiones al alguacil Vicente Barrafon.

11. Dictamen en el proceso de D. Franco. de Borja, sre ser desierta la apelacion, y no proseguible la causa por falta de documentos.

12. Alegato por el Dr. Rodrigo en el proceso de Doml. y Pedro Basquas, sre infanzonia.

13. Alegato por D. Baltasar Janguas en el proceso del Dr. Blanco, sre otorgamiento de un censo á su favor en la villa de Pina.

14. Alegato por Gregorio Lopez y Pedro Miranda, citados en el proceso de Jacinto Ralla, sre articulo de propiedad.

15. Fundacion y mayorazgo con aumento de bienes y llamamiento, hecha por el Sr. Conde de Aranda D. Mig.l Gimenez de Urrea, y el arbol genialogico de la Casa.

16. Apellido en el proceso Jurisfirma contra Luis Gomez Rajo, vecino de Bello, sre resistencia á un Jurado del dho lugar.

17. Dictamen de D. Baltasar Janguas y Garcia en el proceso Jurisfirma de D.a Fran.ca Berdeguer, V.da de Barbastro.

18. Relacion de los drs declarados y adjudicados al Monasterio de Piedra, capitulos de Iglesias parroquiales y otros.

19. Citacion á instancia de la S.a D.a Ana M.a de Alagon y Espes, Condesa de Fuenclara, contra el Sr. D. Cristobal de Córdova y Alagon Conde de Sástago, en espediente sobre alimentos.

20. Acuerdo del Prior y Cofrades de St.a Maria con el Rector y beneficiados de S.n Miguel de los Navarros, sre la celebracion de la fiesta.

21. Alegato del Dr. Leiza y Erasso, sre confirmacion de dos firmas obtenidas por la Exma S.a Condesa de Aranda D.a Felipa Clavero y Sessé.

22. Espediente del E. S. Duque de Villahermosa, sre cobro de las decimas en la Villa de Pedrola.

23. Esposicion en el proceso Jurisfirma de Matias Pradas, sobre pension eclesiastica de 50 escudos.

24. Alegato en el proceso de presentacion de Jose Gil, clerigo tonsurado, escrito por el L.do Fran.co Herrera.

25. Alegato por los Jurados y Concejo de Manzanera, sobre Aprehension.

26. Dictamen de D. Pedro Vaguer en el proceso Jurisfirma del L. Ant.o Villarroya, sre la capellania de Villarroya, fundada por Pedro Ibañez.

27. Dictamen sobre inhibicion, solicitada por el E. Sr. Arzobispo de Zaragoza D. Diego de Castrillo, sre Aprehension á inst.ª del Racionero Bonfil.

28. D. Bruno Garcia pide revocacion de firma, sre una pension ecca cargada en una Racion que poseia D. Antonio Catalan.

29. Apelacion instada por el L.do D. Juan de las Heras, sobre eleccion p.ª la Canongia Magistral en la Iglesia de Tarazona.

30. D. Pedro Geronimo de Urriés, Gobernador de Aragon pide la confirmacion del decreto de Firma, en favor suyo.

31. Los Jurados de Zaragoza piden el reconocimiento de Firma respecto á D. Geronimo Anton.

32. El Sr. Obispo de Barbastro solicita provision de Firma p.ª que sin su permiso no pueda pedirse limosna alguna en todo el territorio de su Diócesi.

33. Escrito sin firmar, sobre fundacion eclesiástica por Fr. D. Lorenzo Galvan.

34. Dictamen sre Aprehension, relativa á cierto crédito de Pedro Duran.

35. Alegato por el Sr. D. Pedro Geronimo de Fuentes, sre la Firma pedida por la C.ª S.ª D.ª Juana de Rocafull y Rocaberti, acerca de los vinculos del Condado de Aranda y Marquesado de Ariza.

36. Dictamen de D. Geronimo Ardid, sobre Aprehension relativa á D.ª Maria Medrona, V.ª de D. Pedro Lorente.

37. El Vicario y capitulares de la Iglesia de Uina, solicitan la obtencion de Firma p.ª el cumplim.to de un Arrendam.to con el Concejo g.ral del pueblo.

38. Dictamen sre provision de Apellido, en favor de D. Martin de Aragon y Borja.

39. Informacion sre peticion de Firma, por Martin de Escagues con la Ciudad de Huesca.

40. Dictamen sobre varias diferencias entre la Villa de Ainzon y el lugar de Zaguenca.

41. Alegato por Susana Canelon en el proceso Jurisfirma, sre cargas impuestas en capitulacion matrimonial.

42. Respuesta á las dudas sre la Capitulacion matrimonial de Susana Canelon.

43. Sumario del proceso criminal de Castellot, contra Dinas y Vicente Navarro y Migl. Ponz, justicias de la Villa de Mosqueruela.

× 44. El Vicario y capitulo ecco de Sn Lor.zo de Zaragoza, sre Aprehension en articulo de propiedad, acerca de ciertos bienes dejados por Da. Clara Garces.

45. En el proceso de Curatela y bienes de D. Manl. Antonio de Urriés y Cleriguet, sre Aprehension.

46. Dictamen de D. Luiz de Egea y Talayero en el proceso de los Jurados de Caspe, sre nulidad de la pretension de Firma.

47. Dictamen en el proceso Jurisfirma de Miguel Trusillo, sobre infanzonia del mismo.

48. Informacion en dro por el lugar de Merquita, sre elecion Jurisfirma en favor de Miguel Juan y Anton Trusillo.

49. Alegato por el Regio fisco y lugar de Merquita en contra de la anterior informacion.

50. Alegato sre admision de articulos en el proceso de Mig.l Trusillo y hermanos.

51. Respuesta á las dudas, sre el anterior proceso.

# VOTA, ET MOTIVA SENTENTIAE LATAE IN REGIA AVDIENTIA CIVILI REGNI ARAGONVM IN PROCESSV appellationis Domnæ Ioſephæ Antoniæ de Gurrea, Cerdan, & Sayas, viduæ domiciliatæ Cæſarauguſtæ.

## Scriba Ioanne Franciſco Calvera.

IN DEI NOMINE, Amen. Noverint vniverſi, quod anno à nativitate Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, die verò, quæ computabatur vigeſimo ſeptimo menſis Iulij, apud Civitatem Cæſarauguſtæ, & in Camera Regij Conſilij Civilis præſentis Regni Aragonum, intervenerunt Magnifici Domini Doctores Gregorius Xulve, Regens Cancelleriam, Petrus Cavero, Carolus Bueno, & Piedrafita, Martinus Frãciſcus Climẽte, Regij Cõſiliarij Ordinarij, & Magnificus Hyacinthus Alaman Regius Conſiliarius extraordinarius, pro Magnifico Petro Antonio Alegre Conſiliario Ordinario pro ſuſpecto dato, & declarato, coram quibus fuit poſitus proceſſus appellationis *Domnæ Ioſephæ Antoniæ de Gurrea, Cerdan, & Sayas, viduæ domiciliatæ Cæſarauguſtæ, ſuper apprehenſione*, in quo dictus Dominus Doctor Hyacinthus Alaman Relator, præmiſſa relatione facta per eum,

& ceteri Domini de dicto Regio Conſilio; necnon dictus Dominus Regens concordes fuerunt voti, & opinionis, quod *Attent.cont.tenetur, & debet pronuntiare, per Iudicem à quo malè fuiſſe, & eſſe pronuntiatum, & benè per Domnam Ioſepham de Gurrea, ad hanc Regiam Audientiam appellatum. Et reformando ſententiam Iudicis à quo, mandat fieri contenta in propoſitione Magnificorum D. Franciſci de Gurrea, & Domnæ Ioſephæ de Gurrea coniugum, principalium Ioannis Franciſci del Rio, & Ioſephi Barnave Avellanas Procuratorum, quorum inſtantiā nunc proſequuntur Magnifici Don Petrus Hieronymus de Vrries & Navarra, & Domna Ioſepha de Gurrea coniuges. Ceteris propoſitionibus repulſis, reſervatis iuribus reſervari ſupplicantibus, neutram in expenſis condemnando, cetera ſupplicata locum non habere.* Quatuor ex dictis Dominis Conſiliarijs ex motivis ſequentibus. Ex eo, & aliàs pronuntiatur provt in ſententia, quia exactis, & ambarum partium confeſsione conſtat, Martinum Ximenez Cerdan, bonorum apprehenſorum Dominum, & Domnam Sperantiam de Gurrea coniuges quinque habuiſſe nepotes, treſque neptes ex Domna Catharina Ximenez Cerdan filia præmortua, & Don Michaele de Gurrea cōiugibus. Quorum fuit primogenitus, & vltimus in eorum omnium occaſu D. Balthaſar de Gurrea, qui ex Illuſtri Dōna Catharina de Gurrea, Marchioniſa de Barboles, eius filia, & Don Franciſco de Gurrea, primogenito filio D. Lupi, tertio ex nepotibus geniti, coniugibus, fratribuſque patruelibus, in neptem procreavit Domnam Ioſepham de Gurrea in ſentētia victricem. Secundogenitus nepos fuit D. Michael in celibatu mortuus. Tertio fuit genitus D. Lupus pater, ſupranominati D. Franciſci primogeniti, & Egregij D. Ioſephi Comitis del Villar ſecundogeniti Apprehendentis, in cuius locum ob interitum eius repoſitus eſt Egregius Don Balthaſar Comes, à fœmina ſuperatus. Quibus om-

omnibus octo ſuperſtitibus nepotibus, Martino avo præmortuo, Domna Sperantia in in ſuo vltimæ voluntatis elogio, vniverſalique amborum coniugum bonorum diſpoſitione, vti hæres, & mariti fideicommiſſaria, & iuxta facultatem teſtamentariam, ſibi ab eo conceſſam, bona apprehenſa controverſo ſubiecit maioratui. Sed quia fruſtra de illius qualitate quæreretur, ſi ad illum inſtituendum facultas ei à Martino tributa non fuiſſet, cum voluntas ſuper impoſsibili inanis ſit, & partes indefeſſæ contendant ſuper ea: Fœmina defendente, non potuiſſe commiſſariam vltra nepotes gravare, Maſculo contrarium ſuadente: Merito, doctrinæ methodum inſequendo noſtrum, ſuper hac quæſtione præponimus principali iuditium. Verba facultatis hæc ſunt. *Dexolos todos de gracia eſpecial, y de aquellos heredera mia universal inſtituezco a la dicha muy Iluſtre Doña Eſperança de Gurrea mi amada muger; con tal empero pacto, y condicion, que aya, y ſea tenida, y obligada de diſponer, y ordenar de todos los bienes de la dicha mi univerſal herencia, en aquel, ò aquellos de los dichos mis nietos, y ſuyos, hijos de la quondam Doña Catalina Cerdan nueſtra hija, arriba nombrados, que la dicha mi heredera mas querrà, y le parecerà; y eſto en vna, ò mas vezes, y con los pactos, vinculos, cargos, y condiciones, y de la forma, y manera, que a la dicha mi heredera bien viſto le fuere, y mas le pluguiere, y quiſiere.* Quæ verba adeo ſunt clara ad abſolutam facultatem, & effrenatam elargiendã, vt vix poſſet clarioribus tribui. Primo, quia potuit commiſſaria nepotem gravare electum cum vinculis, pactis, & conditionibus ſibi bene viſsis, & forma, & modo, quo ipſi magis liberè placeret. Ergo ſi ei placuiſſet bona hæc Maioratus litigioſi vinculo ſubiacere, vti placuit, potuit; aliàs iam non poſſet apponere pacta pro voluntatis libito, vt expreſsè in clauſula dicta legitur, & reſtrictionis vitium cõtraheretur, ſi abſoluta illa poteſtas, tot geminatis verbis patefacta, per anguſtis arctaretur nepotum ſubiectis, quo

nihil

nihil litteræ odioſius, & violentius. Hoc idem ſuadet luculenter bonorum, & perſonarum qualitas; imò ſatis abſurdum videretur, quod, concurrẽtibus filio primogenito D. Balthaſaris, & Patruis, hac poteſtatis plenitudine cogeretur, Domna Sperãtia primogenitum paterna, & avita hæreditate privatũ relinquere, in naturæ offenſam, ſobolẽ ad ſucceſsionem prædiligentis, & in tranſverſos Patruos hæreditatem transferre. Secundo. Ex communiori opinione ex eo ſolum quod potuit commiſſaria ex nepotibus eligere vnum, potuit iam inter ipſos gravamina, & vincula apponere: Aliquid ergo amplius Martinum ſuæ conſorti impertiri neceſſariò dicendum in ſequentibus verbis, tam difuſſæ ſignificationis, & arbitrij laxati plenis, vt iſtius integræ clauſulæ ſuperfluitatis vitemus vitium. Nec dici poteſt, per clauſulam hanc nõ videri plus datum, quam ineſſet tacitè, ſuccedereque regulam. *Expreſsio eorum, quæ tacitè inſunt, nihil operatur:* Quia quod inerat, erat ſolum facultas limitata vinculandi inter nepotes tantum, quæ autem exprimitur, eſt ſimplex, abſoluta, & generalis: Nõ ergo inerat, quæ exprimitur, ſicque aliquid debet operari, vt non ſemel reperitur in Tribunalibus deciſſum. Quin obijci poſsit, quod verba hęc deſerviunt ad tollendã quæſtionem illam, valde inter ſcribentes exagitatam. An gravatus reſtituere cum eligendi commiſsione, in vim electionis ſibi delegatæ, poſsit electum inter eligendos gravare. Quia reſpondetur, quod clauſula hæc non exprimit, quod inter contemplatos vincula ab electricè apponantur, ſed omnia, quæ ſibi viſſa fuiſſent. Ergo clauſulæ verba nequaquam contendi poſſunt appoſita ad tacitam illam facultatem in electione comprehenſam explicandam, cum in quæſtionis terminis non decidat, ſed laxioribus, & abſolutis facultatem commitant: & ſi objiciatur, hac pleniſsima poteſtate cõceſſa, potuiſſe commiſſariam extraneos nepotibus ſubſtituere, quod alienum à commitentis volunta-

tate videretur; ſatisfit, dicẽdo quod, præterquã quod in claris locus nõ eſt cõiecturis; Adhuc hæc effrenata facultas nõ eſt diformis teſtatoris voto. Tũ, quia naturæ vinculũ, quo æqualiter ambo nepotibus iungebantur, teſtatorem hac fiducia fretum ad id committendum inclinaret, quin ſuſpicari potuiſſet, in alios, quã in nepotes, & eorum deſcendentes ipſorum Aviam avitum patrimonium effuſſurã. Tum vt ipſos debito contineret obſequio, liberam in Avia diſponendi facultatem contemplantes. Quibus penſatis, adhuc liberam teſtandi commiſsionem, provt in alijs Regnis vſitatur, vxori commendare, non eſſet mirandum. Neque contraria obſtant argumenta. Non primum, quatenus dicitur, vinculorum impoſitionem eſſe ipſammet bonorum diſpoſitionem; Sed ſic eſt, quod diſpoſitio neceſſariò debuit fieri vnicè in nepotibus: Ergo, & inter eos vinculorum appoſitio. Quia reſpõdetur, dicendo, duo ordinaſſe teſtatorem. Alterum neceſsitatẽ diſponẽdi in nepotes. Alterum facultatẽ in libero Domnæ Sperãtiæ arbitrio relictam, apponendi, ſi ei libuerit, pacta, & obligationes ſibi bene viſas. Fatemur, omnem diſpoſitionem neceſſariam in prima reſtitutione conſiſtentem, exequendam fuiſſe in nepotibus limitate ad id deſignatis, adeo, vt cui ex eis voluerit, reſtitui deberet à principio hæreditas vniverſa ſine aliqua illius diminutione: At vlterioribus ſubſtitutionibus, & vinculis nullos indixit perſonarum terminos, nec dixit inter nepotes. Vndè, licet neceſſario debuiſſet, incipi diſpoſitio ab eis, potuit tamẽ fideicommiſſaria, ſi iniuriam litteræ irrogare non vellimus, Martino eius viro permittẽre clauſula abſoluta mediante, ſemel iam ſatisfacto teſtatoris præcepto, & voluntate præciſſa in alterius ex nepotibus electione, ceteris conditione deficientibus, novas addere diſpoſitiones, & reſtitutiones in favorem deſcendentium illorum octo præclarorum ſtipitum, per quorum lineas ſucceſsio perpetuo pervagaret. Et ſatis irregulare videretur,

quod præcluſum ceteris ne potibus aditum ad hæreditatis petitionē vnius electione, facultas adeo effrenata neceſſario reſeraret. Non obſtat ſecundum, deductum ab illis poſterioribus clauſulis, quibus ordinavit teſtator, quod, non obſtante ſuperiori diſponendi obligatione, poſsit Dōna Sperantia, relinquere viginti mille librarum quantitatem perſonis, & modis bene ſibi viſis, & ducentas annuas Domnæ Annæ de Gurrea; Ex quibus conijcere intēdunt, quod clauſulis his non adiectis, nullam vltra nepotes quantitatem commiſſaria divertere potuiſſet, & ſic quod exceptio hæc in legato appoſita declarat antecedentem inſtitutionis regulam in contrarium. Quia reſpondetur, dicendo, quod ſuppoſita neceſsitate diſponendi, & reſtituendi primitus, & ante omnia vniverſam integrè hæreditatem nepoti à ſe electo, non potuit fideicommiſſaria illam diminuere, neque ab ea quidquam deducere, & id directo, & per vindicationis legatum relinquere alicui. Illud enim, quod non poterat, remiſsit, & excepit quoad quantitates ſupradictas, quarum adeo tranſtulit teſtator plenum, & abſolutum dominium in Domnam Sperantiā, & liberum ab omni vinculo, etiam favore nepotum relicto, vt poſſet illas nepotibus adimere, & directo legare liberè cui, & quomodo voluiſſet, vti propias, ſicque clauſulæ heæ ſunt limitationes, exceptioneſque neceſſariæ illius diſpoſitionis primæ, & reſtitutionis, non autem vlteriorum fideicommiſſariarum, abſolutè voluntati hæredis commiſſarum. Nō obſtat tertium, in quo aſſeritur, clauſulam iſtius effrenatę poteſtatis eſſe in executivis ibi. *Y eſto.* Ideoque reſtringendā ad perſonas in diſpoſitione nominatim, & expreſsè cōtētas. Quia reſpondetur, tunc dici, iuxta receptiorem ſententiam, clauſulas in executivis poſitas, quando poſt perfectam diſpoſitionem, & ex intervallo collocantur, & poſt clauſam orationē nova incipit periodus. E contra in diſpoſitivis iudicantur, quando continuativè,

co-

copulativè,& immediatè poſt verbũ principale ſubſequuntur, & ab eo reguntur, & in eadem oratione, & periodo continentur. Cum autẽ clauſula præſens hanc ſecundam habeat collocationem, vt per ſe patet; Inde dicendum venit, ampliare diſpoſitionem, imò, & quod ſubſtitutiones, & vincula à libera affectione vxoris dependentia, ſunt ipſamet diſpoſitio, quæ in vniverſali comprehenſione illam exequendi nullis coangustata limitibus, & vltra nepotes, & inſtituendi Maioratũ hunc, intelligenda neceſſario eſt. Poſita iã, & ſuppoſita poteſtate in Domna Sperantia, de voluntate quæramus. An voluerit Maioratum regularem. An irregularẽ inſtituere? Verba, quibus ſtabilitur, perpendamus, ſequentia ſunt. *Hago, è inſtituyo Mayorazgo perpetuo, en el qual de mayor en mayor, guardando orden de primogenitura, quiero, que ſucedan los dichos mis nietos varones arriba nombrados, y ſus deſcendientes varones para ſiempre, y en falta de varones las deſcendientes hẽbras.* Quæ, ſi accuratè intueamur, ad Maioratus irregularis inſtitutionem proculdubio non ſufficiunt, imò propriè, & abſque violentia ordinario, & regulari conſonant. Vnde, cum horum bonorum ſucceſsio radicata reperiatur in D. Balthaſaris de Gurrea linea, vti ex nepotibus primo geniti; Merito ab ea non egrediendum, imò in Domnam Ioſepham, vnicam illius neptem, & in linea ſucceſsionis exiſtentẽ, in qua defficit maſculus, perpetuã dam iudicamus, excluſis Egregijs D. Ioſepho, & D. Balthaſare Comitibus, licet maſculis, quia alterius, & remotioris lineę; cum aliud, præter Maioratum quemdam regularem, clauſula prædicta non conſtituat. Primo, quia clauſula præcipit, quod maſculi ſuccedant perpetuo, & in maſculorum defectum fœminæ; Hoc omne verificatur in Maioratu regulari, in quo prius, & perpetuo ſuccedunt maſculi omnes lineæ ſucceſſionis, & ſubſtantiæ, & non fœminæ, niſi in illorum defectum. Regularis ergo apparet Maioratus iſte. Neque obſtat, quod in clauſula non legi-

gitur, quod maſculi lineæ ſucceſsionis præferantur fœminis; ſed indefinitè, & ad imperpetuum omnes vocantur antequam fœminæ. Vnde ſine additamento, & litteræ reſtrictione diſpoſitio hæc integrè adimpleri in ordinario Maioratu nullatenus poterit. Quia reſpõdetur multipliciter. Primo dicendo, quod eo ipſo quod littera diſponit pro inviolabili regula, & generali huius Maioratus, & in ipſius imponit principio (à quo verba poſteriora intellectum, & comprehenſionem recipiunt) ſucceſsionem progrediendam de primogenito in primogenitum, ordine primogenituræ ſervato, iuxta quem nepos quilibet, propriam lineam effectivam conſtituendo, allicit ſibi omnes eius deſcendentes, tam maſculos, quam fœminas, per neceſſarium conſequens litteraliter, & clariſsimè exprimit, Domnam Sperantiam ſolũ vocaſſe maſculos in perpetuum, & in eorũ defectum fœminas in eadem linea propria, & naturali concurrentes, cum qua ſolum primogenitura compatitur, & excludit præciſsè prælationem translinealem lineæ qualitatis, & impropriæ, imò non veræ lineæ, vti ex diametro oppoſitam, & cum qua compati, nec conſervari poteſt. Secundo, quia iuxta quã plurimorum graviſsimorum DD. aſſenſum, ſi adhuc in Maioratu qualitatis, & irregulari, quando vocantur maſculi, aut agnati per lineam directã, cedit qualitas directioni lineę naturalis, taliter, vt fœmina lineæ ſucceſsionis non excludatur ab agnato alterius lineæ. Cur non idem dicendũ in noſtro Maioratu, in quo nõ legitur, nec profertur, quod maſculi alterius lineæ, aut omnium ſuccedant prius, ſed ſolum ſtatuitur pro illius forma, & modo ſucceſsio de primogenito in primogenitũ, & cum primogenituræ rigida obſervatione, quæ non diſſimilem, ac linea directa, directionem continet, & maſculorum, & fœminarum comprehenſionem? Tertio, quia idem procedit in feudis, cuius natura excludit fœminas, vti incapaces, & hoc non obſtante cedit, vt latius infra dice-

cemus, qualitati maioriæ, & primogenituræ, ſi hæc in inveſtitura apponatur. Quarto, quia in illa collectiva, & hipothetica vocatione nepotum, eorumque deſcendentium cõtinentur, celerioris ſermonis gratia, quinque cathegoricæ, vniuſcuiuſque ſcilicet nepotis, & poſteritatis, in quas ſingulariter reſolvitur, & vti nõ omnes nepotes ſimul ſuccedunt, ita ſimiliter ipſorum deſcendentes maſculi non ſimul, ſed linealiter à primogenito in vltimo vſque genitũ, ſuum vnuſquiſque inſequendo ſtipitem, immediatè poſt eum ſuccedere debent propter Maioratus naturam, & virtutem illius dictionis relativæ *Sus*, ac ſi teſtatrix ſigillatim vocaſſet D. Balthaſarem, & eius deſcendentes maſculos, D. Michaelem, & eius deſcendentes maſculos, D. Lupum, &c. diſponens in quolibet ex nepotibus, eiuſque deſcendẽtibus ſingularibus, quod in omnibus. Hoc ergo, quod de maſculis dicitur, neceſſario dicendum eſt de fœminis, cum æqualiter eas comprehendat Maioratus natura, & eas reſpiciat æqualiter relativa illa qualitas, aliter vna determinatio, reſpiciens plura determinabilia, pariformiter non determinaret. Ex quibus infertur clara, & litteralis prælatio maſculorum deſcendentium à D. Balthaſare nepote, in eiuſque linea propria, & directa tantum exiſtentium, in qua ingreſſa fuit ſucceſsio, fœminis eiuſdem lineę, nequaquam verò maſculorum deſcendentium à ceteris nepotibus. Cumque in linea hac ſucceſsionis defficiat maſculus, & exiſtat D. Ioſepha, & conditio in maſculorum defectum purificetur. Merito, ipſi ſucceſsionem deferendam eſſe, decernimus, non Egregio Comiti in extranea, & diverſa linea conſtituto. Secundo principaliter probatur aſſertum. Duo diſponit teſtatrix, modum videlicet per viam regulæ, ſecundum quem ſucceſſio percurrere debet. *De mayor en mayor, guardando orden de primogenitura.* Nec non electionem perſonarum ad eam deſignatarum, vocationibus illis collectivis diſcretivis. *De los nietos varones, y ſus deſcendien-*

*dientes varones para ſiempre, y en falta de varones las deſcendientes hembras.* Ambo, quia legis ſupremæ inſtituta, adimplenda ſunt. Cum regulari prælatione, & lineali vnum conſequitur, & aliud. Primũ, quia maioria, & primogenituræ ordo eſt cauſa neceſſaria linealis illius, & reſpectivæ antelationis. Secundum etiam verificatur, quia inſtitutio illa maſculorum collectivè diſcretivè vocatorum, & conditio illa indefinita. *Y en falta de varones.* Cum pariter ſimul maſculi omnes venire nequeant, Maioratus natura repugnante; ſed ſucceſsivè, & diſtributivè per lineas, & defficiat littera quoad maſculos omniũ linearum, aut remotioris, ſine clauſulæ reſtrictione, & violentia, adhuc minima, redigitur collectio illa, & conditio ad ſenſum iuris, & prævium primogenituræ ordinem, & ei cedit, in quo, vt diximus, ſuccedunt prius, & ſemper maſculi, & nullo modo fœminæ, niſi in maſculorum defectum. Quid ergo amplius deſideravit D. Sperantia, ſignanter non dicendo aliarum linearum? Nihil profecto, imò hijs retentis terminis in ſolidũ teſtatricis voluntas adimpletur. Ecõtra in irregulari, & abſoluta prȩlatione procedit, quæ cũ propriæ primogenituræ ordine, in inſtitutione diſpoſito, conciliari nõ poteſt, imò mutuo ſe expellunt, vt patet manifeſtè. Quia abſoluta maſculinitatis prælatio lineam naturalem ſpernit, & evertit, & vnam, & alteram penetrat, & omnes adit, quovſque maſculum reperiat. Primogenituræ ordo, & ſuccesſio de primogenito in primogenitum lineam cuſtodit incolumen, & non patitur tranſitum fieri vnius in aliam, donec in ea exiſtat maſculus, ſive fœmina; Ergo ſine iſtius correctione, & extinctione prælatio translinealis non procedit, & in noſtro Maioratu nõ ſolum non eſt amplectenda; verum, & in obſequium litteræ debitum, cui eſt ſtandum, omnino repellenda; Ne dici poſsit, D. Sperantiam ſibi non conſtitiſſe, & protinus in expreſſam ſui ipſius correctionem incidiſſe. Tertio, licet fœminæ conditionaliter ſubſtituãtur

tur in defectum maſculorum in perpetuum vocatorum, & illæ propter hos excludãtur, tamen,cum teſtatrix non expreſſerit in ſubſtitutione, & in conditione,qua invitantur fœminæ,maſculorum omniũ linearum,aut remotioris,aut cum clara littera, aut cum adeo evidentiſsimis coniecturis,vt aliud præter illam irregularem prælationem inducere non valeant, & aliqua iuridica ratione ſubterfugi queant,imò,vt dictum eſt,incompatibilis ſit,& verba hæc noſtra omnia poſsint ad litteram commodè intelligi in Maioratu regulari ordinario;Dõnæ Ioſephæ excluſio non ob alterius lineæ maſculos, qualis eſt D.Balthaſar Comes;ſed propter maſculos eiuſdem lineæ,& gradus (ſi extarent) intelligenda neceſſariò erit, ac ſi nihil peculiare circa hoc à Domna Sperantia diſpoſitum fuiſſet. Quarto, & vltimo, quia fœmina fundatam habet omni iure intentionem in linea, & maſculo alterius lineæ vehementer reſiſtit naturale, divinum, canonicum, civile, & Maioratuum regulæ, vnde evenit,indigere maſculum in dubitato iure,& clara, litterali,& ſpecifica vocatione, in dubioque (ſi adeſſet illud) cõtra Comitem pronuntiandũ. & in triplici caſu, quo lites ſuper excluſione, vel admiſſione fœminarum verſari poſſunt,videlicet quod lis ſit clara pro maſculo remotioris lineæ;vel ſit clara pro fœmina, vel ſit dubia,ſolum in primo caſu illud admittendum,Dõnam Ioſepham verò in duobus ſequentibus præferendã. Quod omne accipit incremẽtum à natura iſtius articuli poſſeſſorij, & litiſpendentiæ, in quo ex frequentiori DD. calculo fœmina in poſſeſsionem mittitur, donec aliqua viget credendi ratio, ipſam eſſe capacem, & Iudex non eſt plene certus de incapacitate illius,ſignanter ſi deſcendat ab vltimo poſſeſſore, vt Domna Ioſepha prædicta. Neque in contrarium inclinant obiecta argumenta. Non primum quatenus iuxta litterã, dicitur,deſcendentes maſculos prius, & perpetuo,vti inſtitutos,ſucceſſuros eſſe, non verò fœminas ſubſtitutas,niſi

ſi in defectum maſculorum. Ergo, cum D. Balthaſar Comes deſcendens maſculus ſit, ad ipſum, tanquam inſtitutũ, non ad Domnam Ioſepham, quia ſubſtitutam, ſucceſsio deferri debet; Quia reſpondetur ex dictis, quod, cum deſſiciat littera quoad maſculos omnium linearum, aut remotioris, cum clara excluſione fœminæ proximioris; & ſolũ vocẽtur fœminæ poſt maſculos indefinitè, à Maioratu ordinario non alienum, ſolum reputabitur ſubſtituta Domna Ioſepha deſcendentibus maſculis ſuæ ipſius lineæ, nequaquam verò deſcendentibus maſculis ceterorum nepotum, vt littera, materia ſubiecta, & Maioratus natura ſuadent. Hoc apparet manifeſtè in primo inſtitutionis gradu, in quo vocantur nepotes, & inſtituuntur, & eis ſubſtituuntur deſcendentes maſculi. Si fortè Don Balthaſar nepos habuiſſet filium, eſſet nepos ſubſtitutus, non ſolum patri ſuo, verum, & ceteris nepotibus inſtitutis, taliter, vt omnes hij, quia inſtituti, forent ſucceſſuri prius? Nullatenus. Ita ſimiliter de fœminis reſpectivè ad maſculos cuiuſcumque lineæ dicendum, vt non maſculis alterius lineæ, qualis Comes; ſed eiuſdem, ſi nati fuiſſent, Domna Ioſepha ſubſtituta dicatur. Non obſtat ſecundum fundatum in illa conditione collectiva, indefinita. *Y en falta de varones.* Sub qua vocantur fœminæ, vim vniverſalis habente, quæ de maſculis lineæ primogeniti intelligi tantum non poteſt ſine illius reſtrictione. Quia reſpondetur, dicendo, quod, cum hæc cõditio adhæreat, & ſubſequatur, relationi illi *Sus*, & ordini ſuccedendi de primogenito in primogenitum, & cum præciſſa primogenituræ obſervantia, iuxta quam, & expreſſam relationis diſtributionem decurrenda eſt diſtributivè ſucceſsio per ſingulas nepotum lineas, æque maſculos, & fœminas continentes, non accedendo ad ſecundam, niſi penitus prima maſculorum, & fœminarum exauſta; Apparet manifeſto, teſtatricem ſolum comprehendere voluiſſe in collectiva cõditione illa maſculos

diſ-

diſtributivè lineę cuiuslibet, vt in horum defectum ſuccedat fœmina, non autem maſculos omnes linearum omnium, quod nec littera exprimit, nec ſub iecta materia permittit. Vlterius, etiam & in ſenſu vniverſali verificatur conditio prædicta in prælatione lineali, Maioratus regularis propria, cum in eo, eiuſque effectiva linea fœminæ non veniant, niſi in defectum maſculorum omnium. Præterquam quod quando non eadem militat ratio, indefinita non æquipollet vniverſali in hominis diſpoſitione; Cum ergo longè reperiatur diſpar inter excluſionem fœminarũ à maſculo eiuſdem lineæ, favorabilem, ac à maſculo retioris, odioſam: vniverſalis virtutem indefinita prædicta nõ habebit. Signanter in odioſis, & iuris correctorijs, imò remanebit ſub iuris regulis, & cum ſignificatione prælationis linealis, maioratui conformis. Non obſtat tertium deductum ab illis duobus diſtinctis vocationum collectivarum, diſcretivarum gradibus. Alter nepotum maſculorum, & deſcendentium maſculorum eorum perpetuo. Alter conditionalis deſcendentium fœminarum. Ex quibus inferri præſumitur, non tam prælationem maſculorum in linea, quam ſexus virilis fœmineo. Quia iuxta cõmunem ſcribentium ſententiam licet maſculi invitentur collectivè, diſcretivè, dummodo fœminæ etiam vocentur, non oritur prælatio abſoluta, ſi non concurrant agnatio, aut coniecturæ, & præſumptiones, qualitatem irregularẽ convincentes. Ergo ſola diſcretiva vocatio ad illam non ſufficit, præcipuè in præſentĩ Maioratu à fœmina, & in cognatorum favorem inſtituto, ſine aliqua irregularitatis cõiectura, imò cum commiſsione à Martino teſtatore bonorum domino, æque nepotes, & neptes contemplante, præſtita. Sed ſolum deſerviet ad ſucceſsionis ordinem denotandum, non autem ad excluſionis neceſsitatem. Hoc convincitur, ſi conſulimus *caput vnicum dr eo qui ſibi, & hered. ſuis*, in quo diſcretiva, collectiva vocatio ſolum ge-

neravit dubiũ ingens, adhuc in materia feudali,& inter ſapientes.Deinde,& ſi vltra diſcretivam vocationem præferat ſemper teſtator maſculos fœminis, adhuc locum habebit reſpectiva prælatio, & linealis ex receptiori DD. ſuffragio, & Tribunalium deciſionibus.Ergo facilius erit admittenda in præſenti. Neque diſtingui rectè poteſt inter vocationem genericè, & complexivè maſculorum, & fœminarum à principio factam, & factam diſcretivè prius, & ſpecificè de maſculis, & poſtea in horum defectum de fœminis: Dicendo,prædictas DD. & Tribunalium ſententias procedere in primo diſtinctionis membro ob æqualem dilectionem ex vocatione amborum ſexuum vnico tempore facta, deductam. Secus autem in ſecunda diſtinctionis parte, noſtræ clauſulæ ſimili, in qua ex in æquali vocatione maſculorum prius,& poſt fœminarum,videtur,maſculinitatem poſt ſe traxiſſe omnimodæ teſtatricis voluntatis primitias, ſine fœminarum communione. Quid ergo mirum,quod tam expreſſi animi declarationi ( quidquid de primo caſu dicatur) ſatis non fiat, niſi ſolum cum abſoluta,& irregulari maſculinitatis prælatione? Reſpondetur enim,diſtinctionem adductã reijciendo, eiuſque diviſa membra quoad iuris effectum pariſicando. Primo, quia in iuris ſtimatione prius non datur, nec poſterius in vna clauſula,& ſucceſsio non dependet à mera clauſarum collocatione ; ſed ab ordine ſuccedendi deſignato, apparet clarè. Prius leguntur nepotes omnes, & tamen non prius ſuccedunt omnes, quã deſcendentes invitati in inferiori clauſulæ parte.Secundo quid ad arguendam dilectionis æqualitatẽ intereſt, quod ſimul maſculi, invitentur, & fœminæ, ſi poſtea imponendo illi ſimultaneitati vocationum ſuccedendi ordinẽ, præferuntur maſculi fœminis? Et è cõtra quid ad rem,quod vocẽtur prius collectivè, diſcretivè quidam,ſi in ordine ſuccedendi poſtponũtur, vt patet exemplo proximo in nepotibus,qui,licet diſcretivè, col-

lectivè vocatis, non omnes prius ſuccederent, quam deſcendens maſculus D. Baltaſaris primogeniti. Tertio in vocatione permixta, & vno tem pore facta maſculorum, & fœminarum prioritatem habent ſcripturæ maſculi diſcretive vocati, & tamen admittit appræhendens prælationem linealem. Ergo ſimultanea, aut diſcretiva, collectiva vocatio à principio quoad abſolutam, & irregularem prælationem maſculorum paruipendenda eſt. Quarto, cõvincitur diſtinctio tradita inter caſus prædictos, ſi DD. conſulimus, & paſsim inter hos reperiemus prælationem abſolutam in vocatione complexiva, & è contra regularem, & linealem in diſcretiva collectiva, & ſi iura, eſt expreſſus textus *in dicto cap. vnico de eo qui ſibi, & hæredibus ſuis maſculis, & fœminis inveſtituram accepit*: In cuius rubrica legitur vocatio ſimultanea, & complexiva maſculorum, & fœminarum, & tamen in deciſione capitis admittitur abſoluta maſculorum prælatio. Et licet in nigro, caſuſque figuratione vocẽtur diſcretivè, collectivè maſculi, & hijs defficientibus fœminæ, non obſtat contextui rubricæ, à qua leges omnes interpretationem ſumunt, & ideo omnes ſuis congruis titulis collocantur, vnde reſolutio capitis adſcribi rubricæ debet, aut ſaltem non eſſe ipſius terminis contrariam. Quinto, (quod in dubium, & in negabile eſt) textum hunc horum caſuum diſtinctioni, ac differentiæ non aſſentire, imò in vnum, æqualem, & indiſtinctum hos omnes quoad juris effectum iudicaſſe, alias rubrica cũ nigro, & è contra opponerentur invicem. Vltimo in *cap. vnico de duob. fratr. à capit. inveſt.* adeſt inveſtitura diſcretiva, collectiva maſculorum, & his defficientibus fœminarũ, & tamen non præfertur fœmina vltimi poſſeſſoris à maſculo alterius lineæ. Ergo collectiva diſcretiva vocatio non gignit prælationem irregularem, & abſolutam. Nõ obſtat quartum argumẽtum ex dictione *Semper*, cuius virtute perpetuo maſculos præferendos eſſe contendunt,

dunt, cum debeat operari in omni tempore, & caſu ſucceſſionis. Quia reſpōdetur. Primo, in linea verificari etiam eius perpetuitatem, quia ſemper in ea maſculus præfertur fœminis. Secundo, quia dictio ſemper plurimis induitur, & varijs sēſibus, quos decernit materia fere ſemper ſubiecta. Cum ergo in præſenti adhęreat Maioratui cum præciſa primogenituræ obſervatione inſtituto, ſolū poterit intelligi (ad huc quando prælationem reſpiceret) de lineali, Maioratus propria, non vero de abſoluta, cum materia ſubiecta incompatibili. Tertio, quia dictio ſemper eſt qualitas adhærens verbo *ſucedan*, exprimens perpetuitatē ſucceſsionis vnius, & alterius ſexus, quos ambo qualificat, minimè vero reſpicit prælationem. Non obſtat quintum, quatenus dicit, remanere neceſſario ſuperfluas illas collectivas diſcretivas, vocationes, dictionemq; ſemper, ſi non operantur maſculinitatis prælationem. Quia de hoc argumento, vti tenui valde, & admodum fragili, eiuſque inepta argumentatione non eſt curandum, imò ſuperfluitas potius, quam inſtantanea teſtatricis correctio tolleranda. Præterquā quod vocationes illæ deſerviunt deſignationi perſonarum, quibus inſtituebatur Maioratus, & dictio ſemper operatur excluſionem fœminarum, quæ, ſi maiores, excludere vellent Fratres minores. Non obſtat ſextum, deſumptum à pręteritione neptium, quas plus, quia cognitas, & propinquiores proſequebatur teſtatrix amore, quam futuros maſculos à nepotibus pro tempore deſcendentes. Si enim has prædilectas non invitavit, & propter maſculos, etiam non cognitos, excluſit, ratione prælationis ſexus feciſſe coniectandum eſt. Reſpondetur enim, quod cū hæc non admiſsio abſoluta, & perpetua non ſolum ſit neptium, verum, & deſcendentium earum maſculorum, & fœminarum; Hinc fit, non poſſe ab ea coniecturam deduci pro irregulari prælatione, imò evidenter contrariam, & vehementem, quia cum

maſculinitas æque reperiri poſſet, ac in nepotum lineis, in neptium poſteritate earum deſcendentibus maſculis mediantibus, & æque omnes, & maſculi, & eodem cognationis nexu, in nihiloque diſsimili iungātur ac maſculi nepotum; Si D. Sperantia Maioratum hunc maſculinitatis intuitu conſtituiſſet, maſculos neptium, ac nepotum accerſiviſſet, ſignanter cum tam neptes, quam nepotes Martinus contēplaſſet, quod cum non fecerit, infertur, non ſexum præferre voluiſſe, ſed ſolum perſonas nepotum, & eorum maſculorum deſcendentium, at hoc ſub maioratus regulis, & primogeniturę obſervatione. Et ſi aliqua oriretur coniectura, foret ex vocatione maſculorū neptium, & nepotum, & leviſsima adhuc, & pro auguranda voluntate reijcienda. Coniecturis enim vti, difficillimum eſt iuditium, periculis plenum, & ſæpè deceptioni obnoxiū. Nō obſtat ſeptimum à paritate ſubſtitutionum reciprocarū & *ex leg. codicillis* 34 *ff. de Vſu. & Vſufr. leg.* deductum, ex cuius deciſsione inducūt, quod ſicut ibi datur reciproca inter libertos, quia collectivè vocatos, ita vt vltimo morienti ſolū ſuccedat Reſpublica ſubſtituta, in ſpecie noſtra dici debent deſcēdentes maſculi omnes reciprocè ſubſtituti, quia invitati collectivè, adeo vt ſolum his omnibus defficientibus, & eorū noviſsimo fœminæ ſubſtitutæ ſuccedant. Quia reſpondetur, dicendo, I.C. Scæpolam non admiſiſſe reciprocam in hoc habitationis legato libertis relicto ob eorum collectionem; ſed quia aderat expreſſa in legato anteriori fundi eiſdem libertis relicto, & in hoc ſequenti eam habuit I. C. pro reppetita. Cum autem in noſtro caſu ſubſtitutionis reciprocæ expreſsio non adſit, neque illius inditium aliquod, imò repugnet Maioratus naturæ. Inde reciprocę argumentum, neque illius rationis non militabit. Et ſi ex ſola vocatione collectiva deduceretur reciproca, adeſſet etiam inter nepotes collectivè, & vnius nomine inſtitutos, & non ſuccederet filius, aut deſcendens maſculus

lius D. Balthaſaris, niſi in defectum omnium nepotum inſtitutorum, quod, vti non procedit in nepotibus reſpectivè ad eorum deſcendentes, ita neque in deſcendentibus reſpectivè ad fœminas. Octavum, & vltimum argumentum pro maſculo, imò verius primum, & quoad ſe principalius, deducitur ex ſuperius iam relato *cap. vn. de eo qui ſibi, & hæred. ſuis.* Aſſerendo, ibi obtinuiſſe maſculum remotioris lineæ, fœminamque excluſiſſe, etſi proximioris, quia inveſtitura fuit pro maſculis, & his deſficientibus fœminis. Sed ſic eſt, quod ſub hoc formaliſsimo tenore inſtituitur Maioratus noſter. Ergo Maſculus Comes obtinere debet, & Domnã Ioſephã, licet proximiori lineæ excludere. Quia reſpondetur. Primo, maximam conſtituendo differentiam inter ſucceſſionem feudalem, & Maioratus. Illius incapaces ſunt fœminæ, & nihil mirum, quod ſecundum eius naturam, & ſubſtantiam maſculus, & ſi alterius lineæ, fœminam proximioris excluderet, quo intuitu, & non alio ſapientes ingentem illam quæſtionem, ab inveſtituræ tenore ortam, in maſculi deciderunt favorem. At in Maioratu, cum fœminæ æque ſint capaces in linea, ac maſculi. Quemadmodum ibi propter fœminarum incapacitatem pro abſoluta maſculorum prælatione fuit pronuntiatum, ita ſimiliter hic propter illarum capacitatem contrarium omnino, & neceſſario dicendum eſt. Sed Vrget adhuc maſculus, dicendo, non adſcribi illius deciſionem naturæ feudorum, niſi inveſtituræ ſolum ibi contentæ; ſed contrarium eſt verius, & primo convincitur ex ipſamet littera, ibi: *Non enim patet* (quod eſt deciſionis motivum, & ratio) *locus fœminæ in feudi ſucceſſione, donec ſupereſt maſculus, ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit inveſtitus.* Vnde apparet, motos fuiſſe ſapientes generali ratione, & natura feudorum, non particulari illius feudi, quod non dixit textus; ſed genericè *in feudi ſucceſſione.* Secundo inveſtitura dubios conſtituit ſapientes inter maſculum, & fœminas. *Maſculo quidem hoc feudum totum ſibi,*

quia

*quia ſolus eius, qui primo inveſtituram accepit, vindicante. Fœminis verò totam ſui patris partem ſibi defendentibus, quia ex eo nullus extitit maſculus.* Ergo inveſtitura, quæ cauſa dubitationis fuit, eſſe non potuit deciſionis motivũ. Tertio, in *cap. vn. de duobus fratribus à capit. inveſt.* noſtræ quæſtioni aptiori, diſceptabatur etiam inter fœminam lineæ ſucceſſionis, & maſculum alterius ſuper feudo eodem thenore inveſtituræ, ac *in capite de eo, quo ſibi* conceſſo, & tamen fœmina obtinuit cõtra relatã ſuperioris capitis deciſionẽ. Cũ autem ex eodẽ facto nequeat oriri diverſum ius, oppoſitæ hæ horum capitum reſolutiones ab illa vnica, & eadem amborum inveſtitura inferri non poſſunt. Ex quibus clarè apparet de veriori, & communiori ſententia DD. concludentium, caput prædictum *de eo, qui ſibi.* Non procedere in Maioratibus, taliter, vt ſi ibi ageretur de eis, vt agimus in præſentiarum, contrarium abſolutè, & pro fœmina in dubiè ſapientes decernerent, noſtram comprobando ſanctionem, & ius legitimum D. Ioſephæ ſtabiliendo. Prætera, etiam ſi eſſemus in feudi ſucceſsione, à quo longè diſtamus, adhuc, prætermiſſa primogenitura, appareret de optimo iure fœminæ. Quia in *d. capite de eo qui ſibi.* deſcendebat maſculus à primo inveſtito, & acquiſitore, à quo & fœmina, cui eſt attendendum, non autem inveſtienti, quando inveſtiens non ſibi, vt capiti, neque deſcendentibus ſuis, vti talibus proſpexit, ſed alijs, provt fecit D. Sperantia, vocando ſolum nepotes maſculos tanquam *Maioratus* ſtipites, eorumque deſcendentes, nullatenus verò ſuos, vti provenientes à ſe ipſa, tanquã ſtipite, & ſucceſsionis radice. Atqui in pręſenti non deſcẽdit Egregius Comes D. Balthaſar à primo acquiſitore. Ergo capitis reſolutio Comiti non ſuffragatur. Nec dici poteſt, tot reputari ſtipites primos, quot nepotes, cum quilibet, vt truncus, ſuam protendat lineam, & poſteritatem. Cum itaque Egregius D. Balthaſar nepos ſit D. Lupi nepotis tertiogeniti, erit

deſcen-

deſcendens ab ſtipite primo. Quia reſpondetur, quod cum vocatio illa hipothetica illorum quinque nepotum, eorumque deſcendentium reſolvatur in quinque cathegoricas, provt dictum remanet, ac ſi ſigillatim vnumquēque eorum de per ſe, & ſuos deſcendentes vocaſſet à primogenito nepote ad vltimū vſque genitum, & D. Balthaſar primogenitus integre ſucceſsionem occupaſſet, ille ſolus, & non alius fuit, & reputabitur ſtipes primus, & actualis acquiſitor. Cumque ad actualiter ſuccedendum ſolum ligitimentur deſcendentes primi ſtipitis, & acquiſitoris actualis, nequaquam verò deſcendentes ab alijs quatuor nepotibus, vti habitualibus ſtipitibus, quia in eis nunquam fuit ingreſſa ſucceſsio; & à D. Balthaſar non deſcendat D. Balthaſar collitigans; ſed ſolum D. Ioſepha; Secundum d. capitis deciſsionem ſolam D. Ioſepham à primo ſtipite, & acquiſitore deſcendentem, cenſendam eſſe, non Comitē. Vltimo in terminis *Capitis vnici de duob. fratr.* aderant plures actuales ſtipites, & tamen, quia quilibet ex eis ſibi proſpexit, & omni ſuæ poſteritati, non excludit maſculus alterius ſtipitis fœminam prę mortui ſtipitis in ipſius portione. Ergo cum D. Sperantia proſpiciendo nepotibus neceſſario proſpiceret etiam eorum ſingularium deſcendentibus maſculis, & fœminis, (etiam ſi eſſemus in terminis plurium actualium ſtipitum) ſecundum naturam Maioratus, iuxta quam primogenitus D. Balthaſar primum locum obtinuit, fœmina eius lineæ ſucceſsionis, qualis D. Ioſepha, in totum excludet maſculos aliorum ſtipitum, ac etiam Comitem Egregiū, idem in Maioratibus decidendo quoad omnia bona, quia indiviſa, quod in portionibus diviſsis feudi caput decrevit. Ex quibus Iudicem à quo D. Ioſepham gravaſſe, eiuſque ſententiam reformandam venire, cenſemus. Reijcimus denique propoſitionem Vincentij del Plano, in cuius locum repoſitus eſt D. Ioſephus del Plano eius frater, quia cum bona hæc Maioratui affecta ſint,

ſint, ad quæ, niſi in defectum bonorum liberorum aditus non datur, & appareat exactis a b eodem creditore exhibitis, nonnulla reliquiſſe libera D. Balthaſarem, iſtius crediti primum, & principalem debitorem, ſui obitus tempore, quæ prius creditor non excuſsit. Inde illius actionem, quia ineficacem reppellimus. Confirmatur. Illa ſola dotis quantitas exigi poteſt à bonis vinculatis, quæ ſuperat liberorum valorem. Cum enim non excutiendo prius libera, quãtumvis exiguæ ſtimationis, nequeat apparere de quantitate liquida, pro qua vinculata inſequantur, hinc ſequitur, ipſius repulſa. Nec obſtat dicere, in articulo præſenti litiſpendentiæ non requiri præviam bonorum liberorũ diſcuſsionem propter præconiorum foralium virtutem, quorum vitandæ pœnæ cauſa creditor involuntarius acceſsit. Quia reſpondetur, actionem ad vinculata ſubſidiariam, & conditionalem eſſe in defectum liberorum, ſicque vt illa adimpleretur conditio, probari debuit, aut ſaltem ritè, & rectè allegari defectus illorũ quod cum nõ fuerit factum, imò exiſtentia probata, vt in præſenti, actio ineficax eſt, illaque non comprehendunt foralia præconia. Neque ſuffragatur creditori exemplar à ſe adductum, quia ibi non conſtitit de bonorum liberorum exiſtentia; Præterquam quod illud eliditur praxi vniformi, recentiori, rationique ſcriptæ conformiori ſubſequuta. Non obſtat denique, negaſſe creditorem bonorum exiſtentiam. Quia negatio illa non fuit abſoluta. Et adhuc hæc non prodeſſet, probata inſtrumentaliter illorum exiſtentia, contra quam conſumptio, alienatio, ſive extinctio probari debuit, aliàs non præſumenda curſu temporis non obſtante, quod non fuit probatũ. Et aliàs attent. cont. Alter verò ex Dominis fuit eiuſdem voti, & opinionis ex motivis ſequentibus. Pronuntiatur enim provt in ſententia reſpectu ſecundæ, & tertiæ quæſtionum principalium ex ſuprapoſitis motivis per quatuor ex Dominis præſtitis. Prima verò dubitatio,

tio. An ſcilicet Domnæ Sperantiæ fuiſſet à Martino coniuge prædefuncto gravandi vltra nepotes facultas cōceſſa? ſola ſerie, verbis, & clauſulis teſtamenti inſpectis diu me ancipitem tenuit, nec potui in affirmativam ſententiā inclinare non obſtantibus rationibus per Dominos ſupra recenſitis, & perdoctè ponderatis, & perpēſis: Fortiora etenim meo videri in contrarium pugnabant, & à Dominis ponderata diluebant, ivi tandem in eandem ſentētiam, attento quod, meritis proceſſus inſpectis, liquido conſtat, quod D. Balthaſar de Gurrea vniverſam Martini avi ſubſtātiam per triginta annos, & amplius ſolus poſſedit videntibus, tolerantibus, & approbantibus reliquis eiuſdem fratribus, & ſororibus, & eorum, vel alterius eorum deſcendentibus, quod fieri non poterat, niſi in vim diſpoſitionis D. Sperantiæ per viam Maioratus factæ, quæ ſubſiſtere neutiquā poterat, niſi in vim facultatis gravandi vltra nepotes per Martinum conceſſæ, qua dempta, omnes nepotes, & neptes æqualiter erant vocati iuxta vltimā Martini voluntatem. Vnde Don Balthaſar iure optimo hæreditatem integre retinere non poterat, ſed alienas partes reſtituere, & reliqui fratres, & ſorores ſuas reſpectivè portiones petere, & exigere iuditio communi dividūdo valebant. Neutrum Balthaſare vivente factum fuit, ſed adhuc per eius obitum, qui remanſerunt deſcendentes ex fratribus, non in vim legalis conſortij; quod de plano procedebat; portiones vindicarunt; ſed in vim fideicomiſſi, & Maioratus per Sperantiam fundati ſuper omnibus bonis litem inſtituerunt. Fit inde manifeſtum, quod pro facultate controverſa, & in vim ſcripturæ nō ſatis nota ſtat partium approbatio, ſeu ſaltim per conſuetudinem regulandi ſucceſſionem, & obſervantiam ſubſequutam interpretatio, quæ nō ſolū in legibus, & privilegijs; ſed in alijs quibuſcumque ſcripturis, & hominum diſpoſitionibus locum obtinet, & admittenda venit, adhuc

ſolum per decennium; Multo igitur melius in præſenti eamdem pro interpretatione admittimus, cum vltra trigeſimum annum vivente D. Balthaſare fuerit obſervata, & ſecundum eam regulata bonorum ſucceſsio; ſicque ſcriptura obſcura, & varijs intelligentijs obnoxia, intellecta, & practicata taliter, quod iam vltra non poſsit de poteſtate Sperantiæ ad vinculandum per viam Maioratus diſceptari, & aliàs attent. cont.

*SIG† NVM mei Alberti Antonij Iubero, Scriba Mandati ſuæ Maieſtatis, & in Civitate Cæſarauguſtæ domiciliati, qui huiuſmodi Vota, & Motiva à libro Motivorum de anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, vbi continuata exiſtunt, extraxi, comprobavi, & ſignavi.*